

psalmum per duos versus in laudem virginis  
 gloriose reducendo. Etiam sequenciam dicta-  
 rit: Ave maris stella, cuius versus incipiunt  
 a litteris dictionum: Ave Maria, pro qua  
 devocius cantanda dictus dominus Melensis  
 dedit 40 dies indulgentiarum. Licet igitur  
 habitu secularis esset, tamen devotum se osten-  
 dit, dum ad cultum divinum et ad religio-  
 sos gratiam habuit. Ipso et ~~ipso~~ specialiter  
 de se notum comprobavit, dum ab imperatore  
 prefato capud beati Stephani sui patroni  
 impetravit et auro et argento ac lapidibus  
 preciosis ornari fecit. Quod anno Domini  
 1376 cum magna solemnitate et cleri ac  
 populi tripudio ecclesie sue presentavit et  
 obtulit in die Palmarum. Qua etiam die  
 solemnem processionem secundum ordinariam  
 ecclesie sue fecit, ubi totus clerus et populus  
 conveniunt, una cum monachis et monialibus  
 ad benedictionem Palmarum, que a 60 annis  
 presens non fuerat facta. Et sic reddidit  
 que Dei sunt, Deo spiritualiter devocionis  
 signa ostendendo; et que sunt Cesaris tempo-  
 raliter cum Helyseo malos reos puniendo.  
 Ex his lucide patet, quod et fuit fidelis  
 distributor honorum summi regis. Nam  
 episcopi honorum ecclesie non sunt domini  
 sed quasi villici dispensatores, propter quod  
 videant, quomodo summo regi rationem  
 reddant. Hoc iste dominus advertit. Ideo  
 bona ecclesie expendidit edificando, gregem  
 suum custodiendo, pacem patrie procurando,  
 malos puniendo et superando ac elemosinas  
 largiendo. Hec acta sunt preterita, sed futura  
 nobis sunt ignota. Adhuc multa relatione  
 digna scribere supersedeo, ne nimia sui commendacio

⁊ prius = . (prius ?)